

P V I S

1 6 1 8



- |   |   |
|---|---|
| <p>Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Mundorpii paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pomauii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electorem Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis ratis Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Epistola Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voite dicitur.</p> <p>XXIX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Barone de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoria Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fyfelio et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaret Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyfelii A.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cram.</p> <p>XXXVII. Merzmanni in honorem Magisterii Jo. Josenlii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Copenii Bethmanni Herdesiani.</p> <p>XL. Christiani Vopleri.</p> <p>XLI. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XLII. M. Copenii Gratiani. Tunc in Magisterium.</p> <p>XLIII. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLIV. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLV. Apocryphorum Politicorum Regula.</p> <p>XLVI. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLVII. M. Pucneri.</p> <p>XLVIII. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|---|---|

Ec. 11





## CARMINA

*in honorem*

SINGVLARI PIETATE, ERVDI-  
TIONE ET VIRTUTE POLITIS-  
SIMORVM IUVVENVM NVMERO  
X X.

*Quibus unanimi Senatus Philosophi-  
ci consensu & publicâ solemnitate in inçlyta Aca-  
demia, quæ Lipsiæ est, titulus & insignia  
Magisterij conferebantur*

ANNO CHRISTI

1606.

3. Calend. Februar.

RECTORE magnifico & amplissimo viro Dn.  
VVOLFGANGO MEYERO I. V. D. &  
Professore publico.

PROCANCELLARIO eximio & clarissimo viro  
Dn. M. CHRISTOPHORO HVNICHIO,  
Scholæ ad D. Thomam Collegæ dignissimo.

DECANO spectatissimo & præstantissimo viro  
Dn. M. ANDREA EMMENIO Med.  
Licentiatò.

*facta à*

M. CHRISTIANO BECMANO  
*Bornensi.*

os (\*) do.

Michaël Lantzenberger excudebat.




P R O O E M I V M

QVOD bene sIt! LVX Vt nItVIt trIgesIma IanI,  
Et terræ erIpVIt frIgora sVeta sInV;  
BIS DENOS iterum SOPHIE PHILYREA MAGISTROS  
Artibus insignes & pietate facit:  
Quorum pars Ludis præerunt, ubi flore sub ævi  
Doctrinæ inspergi semina prima solent.  
Pars sacrosancta DEI populo mysteria pandet:  
Iuris adhærebit pars utriusq; foro.  
Deniq; pars sitiet mutas Hippocratis artes,  
Destruet & robur, mors inimica, tuum.  
Tales sunt nostri septena ex arte Magistri.  
His agè quisquis ades linguâ animoque fave.  
Dicamus bona verba: DEO sit gloria primùm;  
Istius hic unus causa suprema boni est.  
Hic est, ingenium teneris qui format ab annis,  
In quo Mnemosyne possit habere locum.  
Hic est, qui sanum & studijs facit utile corpus:  
Hic est, qui sortis commoditate beat.  
Hic facit, ut rubei cedant discrimina Martis:  
Hic facit ut blandæ tempora pacis eant.  
Namq; ubi bella vigent & inundant sanguine rivi;  
Musa ibi non audet ponere diva pedes.  
Singula quid memorem? DEVS omnia sufficit unus,  
Quæ Studiosorum cursus adesse cupit.  
Hinc laus prima DEO in studijs, inq; arte Magistrâ est:  
Altera DOCTORVM laus tribuenda choro.  
Quanquam DOCTORES etiam DEVS ipse ministret,  
Qui sint discipulis regula certa suis.  
Hic ACADEMIÆ nostræ tot tamq; peritos  
Addidit immensâ pro bonitate viros:  
Vt nullis palmam cedat, quascunq; per auras  
Fama orientales occiduasque canit.  
Omnes unanimi curâ Virtutis & Artis  
Ostendunt nobis non sine laude viam.  
Quæq; dies horum detrita laboribus, imò  
Quælibet horarum, per sua puncta meat.  
Manè ubi puniceo surgit matuta cubili,  
Tempore quo musis non magis hora favet;  
Perspicuè PHYSICAM enucleat caliginè rectam  
Francidos insignis IAN-FRIDERICVS apex.  
Postmodò CORVINVS Logices & cura Galeni,  
Lausq; Aganippeæ non moritura domus,

Arte



Arte Melanchthoniã LOGICAM pro tempore factam  
 Explicat ingenij dexteritate sui.  
 Inde MATHEMATICÆ nunc hoc, nunc sedulus illud  
 Et linguã & creta concomitante docet,  
 Surculus Vranix MEVREVS; tutor Hygeæ  
 Maximus, ac Philyræ totius urbis amor.  
 Hinc ubi dimidiata dies, vel scena Terenti,  
 Vel Flacci varijs ceu lyra facta modis;  
 Vel tuba Virgilij, ALBINO doctore patescit,  
 Cuius opem & laudes fama sonabit anus.  
 Post hunc RHETORICÆ simili conamine textus,  
 Seu sit Aristotelis, seu Ciceronis opus,  
 CVRTIVS exponit non infima gratia Suadæ,  
 Cui modò Doctorem Iusticia esse dedit.  
 Hunc sequitur Sophies honor & rutamen Achivæ  
 NELDELIVS, patriæ gemma venusta suæ.  
 Hic, disciplinis quod prodest omnibus, edit  
 Organon & quæ sit vera apodixis ait:  
 Hic ope virtutis, liquidò quam tradere novit,  
 Emollit mores, nec finit esse malos.  
 Deniq; declives ubi sol se flectit ad undas;  
 Discipulos linguæ gazã utriusque replet;  
 Nec non historiæ seriem describere pergit,  
 Quæ sunt Prudentis pabula grata viri,  
 DRESSERVS Sophiæ decus admirabile, cuius  
 Gloria in hoc toto nobilis orbe viget.  
 Hi sunt DOCTORES nostri Sophiæq; Magistri,  
 Per quos succrescit maesta juventa bonis:  
 Quorum fit studio, pubes ut lecta quotannis  
 Signa magisterij & nomina pulchra ferat.  
 His igitur meritò laus est tribuenda secundùm:  
 Accepta in studijs hisce referre decet.  
 Vivite felices, Philyræ decora inelyta nostræ,  
 DOCTORES; placidè vos regat ipse DEVS.  
 Hæc iam pauca cano vobis: mox plura sequentur  
 Carmina, quæ vestris sint animata typis.  
 Nunc me bis denùm juvenum vocat ordo poëtam,  
 Quos hodiè eximios mitra magistra tegit.





I. DAVIDI LIPACHIO  
BEBRENSI.

Sicut gramineis sunt decori hortulis  
Aut sylvis tilia, dum virides suos  
Ramos & folia & germina florida

Leni temperie explicant:

Sic tu condecoras, ô juvenis, cui  
Dant nomen tilia, hunc eximium chorum  
Quem ducis: varijs dotibus ingent

Nec non corporis affluis.

Certè, cum facies indicium bonum  
Sit mentis, veluti lex physica probat;  
Exclamare libet: mente bonâ es; nitet  
Virtus ex oculis tuis.

Nec tantum ex oculis, quin etiam patet  
Virtus unanimis hæc tua calculis.

Doctorum, quibus est ingenium tuum,  
Et mores bene cogniti.

Aequus gymnasij dux VICELEBII  
PODENSTEIN meminit, te puerum modo  
Convixisse avidum Pegasei gregis,  
Et virtutis amasium.

Scit FRIDRICVS idem; scit quoq; HVNICHIVS,  
Qui te sub TILIAE frondibus accubum  
Instruxere bonis, qua sapientia.

Græca regula dicitur at.

Scit BVCHNERVS idem nobilis, & fide  
Ac virtute micans. hinc tibi sufficit  
Vitæ subsidium. Subsidium invenit  
Virtus, si modo vera sit.

Nunc



Nunc tende ulterius, more tuo, gradum.  
Quamvis quid moneo? non opus est equo  
Incussu stimuli, qui satis incitus  
Per se jam volat ut Notus.  
Iam tum curris iter præceleri gradu,  
Quod fert ad Solymes inclytæ mænia:  
HARBARTVS radijs stellimicis velut  
Allucet tibi cereum.  
Ergo non monitu; sed magis indiges  
Plausu. plaude Parens optime filio:  
Hic spes & senij scipio erit tui;  
Hic dilectus IOVÆ erit!

2. IOHANNI SARTORIO  
IENENSIS.

SARTORIVS secundus,  
Sed & secundo numine  
Fit artium Magister:  
Nec simplici modò nomine,  
Sed re magister ipsâ,  
Solennitate publicâ  
Fit & renunciatur.  
Sic convenit, sic. ô quotus  
Non re magister ipsâ,  
Sed simplici fit nomine!  
Reapse fit magister,  
Qui diligenter literas  
Noctu diuq; discit:  
Qui diligenter moribus  
Insuescit unâ amœnis.  
Vtrisq; IANE, plurimùm  
A flosculo iuventæ,  
Tam literis quàm moribus

Tu deditus fuisti.  
Te SITTA lux SILESIÆ  
Pusillum adhuc polivit  
Et literis primoribus  
Et moribus novellis,  
Hanc quæ decent atatulam.  
Deinde adultiorem  
Te LIPSIA aster MISNIÆ,  
Vbi campus universus  
Scientiarum panditur;  
Ditavit eruditis  
Rerum omnium ceu copijs,  
Quas circulo Stagira  
Alumnus olim condidit,  
Et posteris reliquit.  
Scis eleganter cum viris  
Græcis, item & Latinis,  
Ut allubescit, colloqui.



Scis annuente Phœbo  
Melisma cultum pangere.  
Scis proprijs benè uti  
Communibusq; regulis,  
Vbi disputationes  
De veritate postulant.  
Scis inferi & superni  
Natura quæ sit corporis.  
Scis quæ venusta virtus  
Paretur & felicitas.

His, pluribusq; donis  
Te mater auxit LIPSIÆ:  
Et non reapse fias  
Solennitate publicâ  
Septem artium Magister?  
Quin plus futuro tempore,  
Tui parentis instar  
Clarissimi, futurus es.  
Præsagio. IEHOVA  
Præsagium impleat meum!

3. MANASSÆ VVALTHERO CYGNEO.

Vitam quæ faciunt beatiorē,  
Politissime mi MANASSE, sunt hæc:  
A parentibus esse procreatum,  
Qui virtutis & eruditionis  
Ad cælum niveis vehuntur alis.  
Nanum fugere turgidis labellis  
Cum primo quasi lacte veritatem,  
Quam CHRISTVS tulit è sinu Parentis.  
Hanc, dum vivifici caloris aurâ  
Sanguis purpurat artuum meatus;  
Gestare in manibus suis, vel imò  
Ferre in pectoris intimo recessu.  
Peius aspide, peius & cicutæ  
Veneno fugere improbas catervas.  
Tam commercia consequi bonorum,  
Quàm motum clytie venusta Solis;  
Quàm thymum sequitur capella dulcem.  
Esse viribus ingenitæ excitatis.  
Esse, more parentium suorum,  
Et virtutis & eruditionis

Laude



Laude conspicuum; virisq; charum,  
Qui virtutis & eruditionis  
Laude nil potius priusve ducunt,  
Esse corpore præditum salubri.  
Quantum sufficit & bonum est, habere  
Fortunam mediocrium bonorum.  
Politissime mi MANASSE, sunt hæc  
Vitæ quæ faciunt beatioræ.

Quæ cum singula dona singulari  
Tibi contigerint benignitate  
DEI, à quo bona sunt in univèrsam;  
Non, quæso, titulum novi Magistri,  
Non insignia, debitamq; laudem  
Iure iam capias novi Magistri?  
Et, quod est caput omnium bonorum,  
Non vitæ peragas bonam & beatam?

4. IESAIÆ BVSSINO  
DELICIANO.

**E**st pulchrâ specie quidem  
Aurum; quosq; ferè terrigenum capit,  
Imò decipit. est lapis,  
Iaspis gramineo tegmine, pulchrior.  
Orion quoq; pulcher est,  
Inter sidereum nobilis ordinem.  
Pulchra est vinea, lividis  
Uvis & viridi prædita pampino.  
Est pulchrum nemus, arbores  
Dum sub vere vigent & volucres canunt.  
Vestes stamine serico  
Pulchrae sunt, fateor. sed tamen omnibus,

Auro,



Auro, iaspide, sidere,  
Vincto, nemore & vestibus omnibus  
Virtus pulchrius est bonum.  
Pulchra huius facies te quoque perculit  
Aevi à primitijs tui.  
Virtus suaviolum & melliculum tuum  
Et desiderium fuit.  
Hanc, BVSSINE, alijs posthabitis bonis  
Consecratus es unice,  
Seu Titan micuit, seu fuit atra nox.  
O felix ter & amplius!  
Nunc desiderio perfrueris tuo:  
Nunc virtus tibi propria est,  
Et quæ noticijs ingenium excolit,  
Et quæ moribus imperat,  
Eradiťq; sinu crimina ab intimo.  
Hinc & præmiolum refers,  
Quod virtutis amor commeruit: novus  
Fis Doctor Sapiencie;  
Nec non consequitur te favor omnium.  
En! RICHTERVS avunculus  
Inprimis, fidei Syndicus optime  
Numpyrgi ex animo favet.  
En! quem DELICTVM delicias suas,  
Ac pro tempore consulem  
Cernit, STOLA favet. mitto alios. meam  
Tantum subijcio precem:  
Ut te diva salus almaq; faustitas  
Cornu divite sospitet;  
Virtus continuo quò tua floreat,

Et Spar-



*Et Spartam subeas bonam,  
Qua virtute tuâ digna sit; at brevi!*

5. SEBASTIANO FREY  
LIPSIENSI.

**A**urea libertas; imò est preciosior auro,  
Et margaritis carior.  
Hæc solùm à studio nostræ proficiscitur artis:  
Ars liberos verè efficit.  
Nempe sumus servi viciorum ab origine primâ,  
Sumusq; servi inscitia.  
Liberat à viciis ars, virtutemq; reponit  
Blandissimam: ars inscitia  
Liberat à nebulis, mentemq; imitantibus astra  
Rerum imbuit scientiis.  
Tu mihi testis ades: libitu quia perpete nostros,  
LIBER, libros, non Liberum;  
Artem, non Venerem; studium, non oia vitæ  
Secutus es: jam liber es,  
Iam verè liber solidâ cum laude magister  
Fis liberalium artium.  
Cui libertatis nostræ sunt munera cordi;  
Tibi precetur liberè  
Optima quæq;: tuis faveat successibus: imò  
Et liberâ prosit manu.  
Quanquam quid jubeo? diva gratantur honores  
Ipsa tuos Novensiles.  
HEILIGMEIERUS Sophies applaudit ocellus:  
HATNECCIUS tibi & bono  
WEBERUS vultu arrident duo lumina ludi,  
Quem Mulda præterlabitur.

B

Acci-



Accinit & votum physici cultissimus horti

Cultor FRIDRICUS, optimum.

Deniq; subsidio certo est tibi CURTIUS album

Suada dicesq; corculum.

Hi, pluresq; alii latantur honoribus istis

Tuis novellis: nam prius

Ductores studiiq; tui, vitæq; fuerunt

Omnes labore compari.

Nunc agè, quod superest, spaciofa volumina divæ

Sionia, quæ enucleat

Perspiciuè HARBARUS nostri laus inclytæ seclis;

In posterum firmissimè

Pectore conde tuo. Sic nomine regis Sebastus

SEBASTIANUS audies;

Libera & à viciis multorum pectora reddes,

Dum liberali concio

Mystica conspiciet legis te voce tonantem.

Sic liberabit te à malis

Omnibus omnipotens Dominus, tandemq; locabit

Inter beata sidera:

Est ubi libertas vera & mansura voluptas

In seculorum secula.

6. CASPARO RULINGO

CIZENSI.

**D**ulce & decorum est patriam

Habere commendabilem:

Turpe & pudendum est patriam

Habere detestabilem.

Ab hac petuntur indolis

Morumq; signa, crebrius

Quæ veritati consonant.

Non ergò postremum aestimes

Bonum, quòd educaverit

CASPARE limatissime,

Te CIZA mater uberis

Dulcissimi & nutricula

Vir-



*Virtutis optatissima.*

*Hic te tenellum primitus  
PELÆUS artifex bonus,  
Iam particeps caelestium :  
Exinde puberem magis  
REINHARDUS Hippocrenidum  
Nitela virginum, imbuat  
Linguis duabus, artibus  
Primis, bonisq; moribus.*

*Pōst immigrasti LIPSIAM,  
Qua stat Lyceum nobile.  
Hic sphaerica HUNICHIUS  
Conversiones tradidit :  
Hic organon NELDELIUS,  
Quod organorum est organon,  
Et disciplinarum manus :  
Hic FRIDERICUS indidit  
Naturæ opes reconditas :  
Hic TULLIANAM CURTIUS  
Monstravit eloquentiam.*

*At tu fuisti sedulus  
Auditor istorum omnium.  
Nec pœnitebit. omnium  
Suo fruëris tempore*

*Non pœnitendis fructibus.*

*Modo parentis æmulus  
In posterum, fac auribus  
Ut expeditis imbibas  
Qua vox DEI sanctissima  
In Bibliis nos edocet.*

*Tum scriba fies curia  
Foriq; mystes, propria  
Quæ sunt in orbe Ecclesia.*

*TIMÆUS omnium optimus,  
Quem CIZA cancellarium,  
Astræa quem propaginem,  
Quem literati & pauperes  
Patrem vocare gestiunt :  
Itemq; LAUTERBACHIUS  
Qui puri adinstar rivuli  
Verbum DEI purissimum  
Fundit, suisq; puriter  
Instillat auditoribus ;  
Ambo tuis inserviunt  
Ut plurimum conatibus.*

*Tu fide tantum : Sed DEO  
Primum : his deinde. quid fides  
Si vera sit, non efficit ?*

7. NICOLAO NEUBAUERO  
CIZENSI.

*Sicut fertile rusticus  
Arvum naviter excolit ;  
Dum robur sinit insitum  
Nervis, & tepidâ aurulâ  
Veris allicit ortus :  
Sic tu jugera jugiter  
Musarum redolentia  
Aetas dum viridis tulit*

*Quâ re, quo licuit loco,  
Et modo coluisti.  
Rastro, vomere, pastino,  
Occâ, pectine, sarculo  
Et compluribus organis  
Quis cultoribus est opus,  
Vsus excoluisti.  
Hoc vidit studium tuum*



Campus Pieridum uvidus,  
Qui GRIMÆ seritur prope  
Muldam; qui segetem uberem  
Singulis parit annis.

Hic HAYNECCIUS optimus:

Hic VVEBERUS amabilis:

Hic & BIRCKIUS impiger

Cultura Aonia modum

Te pares docuerunt.

Exinde hoc studium tuum

Vidit Pierium jugum

Comitis sub TILIAE comis,

Quod nullo minus hactenus

Sedulus coluisti.

Hinc dives tibi messis est:

Nunc spicas Logicae capis:

Nunc flores Physicae aureos

Et quos dat Sapientia

Carpis undique fructus.

Carpes pluvia perge age,

Ac, quod restat & omnium

Præstat maximè, agrum cole

CHRISTI: pelle procul capros,

Atque disjice vulpes.

Hoc est, Christigenum gregem

Veris instrue dogmasin,

Et vitâ pare dogmasin.

Hoc est hæreticos procul

Exige, ulcera mundi.

Prende: occasio jam datur.

Præluceat faculam Pater,

HARBARTUSQUE docet modum.

Tum verè populi clues

Victor atque colonus.

## 8. ELIAE OPITIO BISCHOF-

VVERDENSIS.

TAndem lux oritur roseis evecta quadrigis,

Quam tibi lineolâ candidiore notes:

OPITI, o patriæ virtutis & indolis hæres,

Famaque Cyrrheæ magna futura domus.

Hac tibi solenni contingit voce magistri

Nomen, in æternum non periturus honor.

Annulus inseritur digitis & germina lauri

Cæsariem lambunt ambitiosa tuam:

Additur & passis foliis pro munere codex,

Quaque magisterii jura vetusta jubent.

Hæc tua commernit penitis industria fibris:

Hæc sunt ingenio præmia digna tuo.

Vidit te docilem divis impendere succum,

Ex se Mnemosyne quas peperisse ferunt;

Vidit & obstupuit Phœbus, germanaque Phœbi

Cynthia, quæ fratris lumine nocte micat.

Qua



Quà Schola doctrinæ frondet VICELEBIA cultu,  
 PODENSTEIN Clariis te madefecit aquis;  
 Ut quasi olorino fundas modulamine versus,  
 Quales Scaligeri regula vatis amat.  
 Hic ubi se laudum festis Academia pompis  
 Iactat & eximios occulit alma viros;  
 Quos inter patulæ claret Germanidos orâ,  
 Aufonidumq; decus Grajugenûmq; decus;  
 Cujus ab ore fluunt mera mulsa & mella loquentis  
 Tullia, multiplicis qui caput historiæ est;  
 DRESSERUM dico nostrum, qui dignus; ut ævum  
 Nestoris incolumi corpore latus agat.  
 Hic ita Aristotelis coryphæi scripta Sophorum  
 Pectoris hausisti sedulitate tui;  
 Ut, quæcunq; decet nostratem scire magistrum,  
 Noveris, atq; alios ritè docere queas.  
 Porrò agè, Thêologûm parili mysteria cursu  
 Nosce, quibus cœli janua certa patet.  
 Idq; tui exemplo Patris; hic ex ore LUTHERI  
 Ipsiûs ambrosio verba fluore bibit;  
 Lustra q; per septem, quâ BISCHOFVERDA patescit,  
 Sacchare Christicolas cœlite pavit oves.  
 O labor! ô ingens labor! huic quæ debita merces  
 Restat? flammimicis ferta ligata rosis.

9. TOBIÆ MOITZIO NE-  
 BRENSI.

**E**Rgo tuum abjicies animum, quòd funere tristi  
 Sustulerit patrem mors inopina tuum?  
 Ne facias, haud prorsus eris desertus & atræ  
 Gallinæ soboles ludibriumq; merum.  
 Fide DEO: diffide tibi: DEUS omnibus orbis  
 Est pater, aut plus est quàm pater esse solet.  
 Hic tibi sufficiet plenis velut omnia palmis,  
 Quorum victus eget, quorum & amictus eget.



Hic tibi submittit patria bonitate patronos,  
Quorum præsidio res tua læta fluet.  
Aspice! BÔLNICIUS nostri cor Principis, aulæ  
Gloria Saxonicæ, Misnidos orbis amor:  
Cujus in Aonium bonitas & cura manipulum  
Nota est Hesperidum Memnonidumq; jugis.  
Hic tibi dexter adest, magni fulciminis instar:  
Hic velut est studiis pesq; caputq; tuis.  
Hunc venerare virum: huic longissima tempora vitæ,  
Perpetuæq; vove prosperitatis opes.  
Aspice! præterea viridante GEORGIUS ævo,  
Et FRIDERICUS item, lumina bina domus,  
Quam NISMITZORUM dictam per climata nostræ  
Albicomis patriæ fama perennat equis;  
Qui modò, sectati magnorum exempla dynastum  
Lustrarunt variis disita regna locis;  
Et quæ Liligeri Regis tutela gubernat,  
Et quæ Romani Thyridos amne madent.  
Hi cum BLANDINA blandâ genitrice ministrant  
Omnia, quò portum mox tua cymba petat.  
Tu modò ne cesses calido pertexere nisti,  
Quod tua præclarè dextera ccepit, opus.  
Cum satis HUNICHI celebris moderamine nostri  
Iam teneas, Sophie quæ capit ampla sinu:  
Pòst tibi sit pietas curæ magis omnibus una;  
Hac est quadrifido majus in orbe nihil.  
Hanc docet HARBARTUS Sionis amabile lumen,  
Gloria doctrinæ nobilis, orbis honor;  
Omnem vir laudem meritus: date flumina Musæ,  
Hujus ut elogium sat celebrare queam!

10. IOHANNI SAUERBREI THE-  
MARENSEI FRANCO.

*Qui nostris cupit assidere mensis,  
Et vesci dape, quam suis alumnis*

Con-



Convivator Apollo praestinauit:  
Huic primâ vice salsilago missus,  
Sunt & puls acida & sapore fellis  
Plenis juscule combibenda buccis.  
Post hæc fercula dulciora melle,  
Imò sacchare, nectare imò & ipso,  
Aut si sacchare dulciora, & ipso  
Si quæ nectare dulciora restant;  
Apponuntur ut eluant acorem.

Hac dapum serie suos alumnos  
Convivas solet educare Phæbus.

Testem te cito: sed quid est necesse  
Te citare? fateris ipse per te,  
SAUERBREI. quid enim negare verum  
Velis, quod minimè negare possis?

Hei quantis tibi salsilago grumis,  
Quantis puls acida hospiti catinis  
Per multos fuit exedenda menses!

Quæ SCHLEUSINGA epulis redundat istis;  
ZEHNERUS decimator invidendus  
Christi & Phæbigenum, tenella succis  
Acerbis tibi germinilla promsit  
Ex horto Solymeidos beato.

Tunc & LINCKIUS, at minus sinister  
Phæbeis operis; sed & SEBERUS  
Et SORGERUS, uterq; cura Phæbi;  
Te radicibus herbulisq; passim  
Vulsis è Latiiq; Græciaq;  
Viretis, aluere lege Phæbi.

Hi primùm tibi contigere missus  
Amani satis & satis molesti.

At



At hos LIPSI A postmodum liquore  
Educauit amabili ciborum.

Hic, cui methodus cibum parandi  
Quem vis cunq; data est, favore Phæbi,  
Te NELDELIUS imbuit medullâ  
Antiquæ Logicæ: FRIDRICUS alma  
Natura quasi promus atq; condus  
Hypotrimmata plena suavitatum  
Natura apposuit: simulq; BRUNO  
BECCERUS tibi pinsuit suavem  
Bonus pistor Apollinis, placent am.

Nunc & ultima, fercla ferculorum  
Affert: quis? Sophie ipsa. Sed quid hæc sunt?  
Sunt bellaria bella. Sed quid hæc sunt?  
Est ramus solido virore lauri:  
Est & cœruleo colore mitra:  
Est & aureolo nitore cyclus:  
Deniq; est titulus novi magistri.

Hæc bellaria belliora bellis  
Rebus omnibus esse judicantur.  
Hæc sunt fercula dulciora melle,  
Imò sacchare, nectare imò & ipso,  
Aut si sacchare dulciora, & ipso  
Si que nectare dulciora restant.  
His ut delicijs fruare bellis,  
Excultissime IANE, det IEHOVA!

II. VALENTINO CAROLO MEI-  
NINGENSI FRANCO.

O Cia dant vitia & quasi pulvinaria, vulgò  
Sed verè, Cacodæmonis vocantur.

Hæc



Hæc tu ceu taxi fugisti pro vidus umbram;  
 Ac toto impete pectoris laborem  
 Et studium arsis, labor & studium omnia vincunt,  
 Sint quamvis adamante duriora.  
 Urbs MEININGA jacet Francis bene nota colonis;  
 Hic fundamina prima literarum  
 Iecisti solidè, solidè fundamine jacto,  
 Firmè cetera tum superstruuntur. (auras;  
 Quà SCHLEVSINGA sita est, celebris Schola tendit in  
 Hic te vir pietate singulari  
 ZEHNERVS docuit divi primordia cultus:  
 Hic & LINCKIVS & SEBERVS, ambo  
 Ductores juvenum insignes, tibi compare nisi  
 Tradidere Pelasgia loquelam  
 Et Latij, primasq; artes, moresq; decentes.  
 Ars enim sine moribus fatiscit.  
 Hinc te digressum nostra DEVS appulit urbi;  
 Ubi Elystriadum corona vidit  
 Non pecus ignavum te, non schola inutile pondus:  
 Verùm nocte dieq; te notare  
 Omnia, qua tereti Sophies se ambagine condunt;  
 Idq; dexteritate FRIDERICI,  
 NELDELIQ;, Sophon qui sunt duo lumina; quorum  
 Laudem fert animus politiori  
 Commemorare metro; quanquam gannitibus aures  
 Meas impleat invidis, Sophillus.  
 CAROLE, fac etiam simili conamine pensum  
 Absolveas reliquum tui laboris.  
 Sic erit, ut merito tibi plus contingat honorum;  
 Et te pluribus augeat patronus,

C

VVER-



VVERNERVS Philyra pars suspicienda Senatus;  
Qui cupit bene, nec cupit modò; imò  
Cuig<sup>3</sup> bono, bonus ipse facit bene, sortis egena.  
Hinc eius digit alibus lituris  
Nomen ab Aonisin scriptum est in cortice lauri;  
Quod lauri indole crescet & virebit.

12. GABRIELI LVTHERO  
GRIMENSI.

Qua Mulda GRIMAM piscifer alluit,  
Iuxt aq<sup>3</sup> videt frondibus obsitus  
In vere clivus, tinnulisq<sup>3</sup>  
Gutturibus resonat volucrum;  
Stat Ludus olim munere principe  
MAVRITI apertus Saxonici ducis,  
Quem (proh dolor) Bellona iustum  
Ante diem immeritò necavit.  
Hic à tenellis unguiculis tuum,  
LVTHERE, pectus puriter albido  
Humore mundaisti dearum;  
Quas genuisse putant Monetam.  
Exin Lycei, Plisna quod irrigat,  
Lavisti alumnus te magis & putum  
Purum magis te reddidisti  
E fluvio Sophies salubri.  
Iam nomen implet quod tibi puritas:  
Dedit: polito marmore purius,  
Lyncurio atq<sup>3</sup> noctiluca  
Lampade mundiùs enitescis.  
Magistra puras iam dea gemmulas,  
Aurumq<sup>3</sup> purum dat tibi, quæ notant

Morum



Morum indolisq; puritatem,  
 Atq; novum decorant magistrum.  
 Quod restat: almâ postmodò cor tuum  
 Sionis undâ tersius ablue,  
 Quæ labe pulsâ, nos supernis  
 Munditijs facit esse dignos.  
 Quem templa laudant, pulpita quem schola  
 Nostra verentur suaviloquum & pium,  
 VEINRICHIUS te sublevabit,  
 Atq; tuis aderit patronus.  
 Quos invidendos LIPSIÆ consules,  
 Sanctæq; clarat iusticiæ patres,  
 PEILICKIUS, MÖSTELIUSq;  
 Et bona pars Philyra Senatus  
 OELHAFIUS; cuncti tibi plurimum  
 Prodesse gaudent. Tu modò ne tibi,  
 LUTHERE, desis. At Senatus  
 Vos tria sidera LIPSIENSIS,  
 Valetè longùm, vivite sospites:  
 Squamosa proles dum salit in salo,  
 Dum sylva avis, dum gramen agro est,  
 Undiq; vester honos manebit.

13. FRIDERICO ZECHIO SVLTZ-  
 BACHIO PALATINO.

**V**T vultus hominum dissimiles vides:  
 Sic mores etiam. sunt, quibus unicè  
 Auri sacra fames atq; sitis placet.  
 Sunt, quos languidulis Murcia brachijs  
 Pulvillo resides in tepido fovet.

C 2

Sunt.





Sunt, quos bella juvant & lituo tubæ  
Permistus sonitus. Sunt, quibus alea  
Cum nigris oculis, chartæque dulciter  
Arridet, quatuor picta coloribus.  
Sunt, qui Pontigenæ blanditijs litant.  
Sunt, qui lautitijs Spicigenæ deæ  
Plus justo tribuunt. Sunt, quibus est merum  
Et Zythum gemino lumine charius.

Te juvit potius combibere undulam,  
Ex se quam generat fons Aganippidum,  
ZECHI; hæc à teneris delicia tua:  
Hæc Zytho atq; mero gratior extitit.

Certum est. nempe tibi quæ Schola nomine  
THOMÆ dicta viget sub TILIÆ situ,  
Porrexit situlam vir meritis bene  
LASMANS, rutili portio iam throni.

HVNICHVS Soboles Urania tibi  
Cælesti è scatebrâ pocula prebuit.

FRIDRICVS Physices unio rivulis  
Te persudit, opes qui genitricule  
Natura redolent, mellifluas opes.

O felix nimium potor! hic abluit  
Tam potus maculas pectoris insitas;  
Ut vel Sithonia iam nive purior,  
Vel plumis niteas candidior cygni.

Quod si progrediens amplius hauseris  
Israëlis aquam; Christisequas oves  
Olim salvifici flumine nectaris  
Tinges, & meritam per superas domos  
Mercedem referes, cœlica gaudia.

Faxis!



*Faxis! presidium & dulce decus tuae  
Vita, PETRVS OHEIM vir veteri fide  
Et virtute micans, atq; Aganippidum  
Altor, munificè dat tibi quæ petis:  
BINTZBACHI soceri more, viri optimi  
Et digni altisonâ Virgilij tubâ;  
Qui fratri antè tuo non minùs obtulit,  
Quæ nostrum studium postulat, omnia.  
O salvete viri: vivite prosperi,  
Et prodesse magis pergite literis:  
Si me fata volent ducere, ceu libet,  
Vitam, vestra peplis nomina musicis  
Et fame foribus lativage inseram.*

14. PAVLO RABENSTENIO HAR-  
TENSTEINENSI.

**D***At nomen omen saepe: nihil boni  
Corvus; boni nil significat lapis:  
Sic, PAVLE, de te sentit ista  
Livida progenies, Sophillus:  
Sophillus ævi pestis & omnium  
Rerum æstimator, quas minimè tamen  
Intelligit; nam par a sello est,  
Atq; Mida similis supino.  
Hunc sperne mecum: nec tibi sit tuum  
Nomen pudori, quod procerum quoq;  
Quæ Roma septicollis, olim  
Gens habuit celebrata libris.  
Ut corvus altum transvolat æthera:  
Sic pervolasti sideream domum,*

C 3

Non



Non corporis sed mentis alâ,  
 Uraniaq; fuisti alumnus.  
 Ut corvus auri granula dicitur  
 Nido & lapillos fulgidulos suo  
 Inferre, naturæ sagacis  
 Compos & augurij minister.  
 Sic è Minervæ divite cistulâ  
 Vim luculentam dogmatis aurei  
 Et gemmei cordi intulisti,  
 Fratrem imitans studio SIMONEM.  
 Hæc corvus. at quid significat lapis?  
 Vires viriles arguit & tuam  
 Constantiam, roburq; durum  
 In studijs. Siquidem hæc repellunt  
 Effæminatam mollitiem procul.  
 Vir sit: lapis sit, vel lapidis modo  
 Infractus adversum labores,  
 Qui studijs volet incubare.  
 Contra Sophillum sic ego: cum prece,  
 Ut, corvus annos quot numerat senex;  
 Tot IOVA te donis coronet;  
 Totq; bonis cumulet clientem  
 SCHÖNBURGIORVM stellula, Baroq;  
 Illustris HUGO; teq; SELINGIVS  
 Schnebergici fulcrum Senatus  
 Afficiat solito favore.

15. IOACHIMO FLEISCHERO VRATIS-  
 LAVIENSI SILESIO.

TE, FLEISCHERE, Sophiam intuita est dea  
 Nascentem placidi laminis hircuulis;

Atq;



Atq; , ô pusio , dixit  
Augmentum cape prosperum :  
Ut crescit folijs , frondibus & libro  
Arbor marginibus consita proximis  
Rivo limpidulo & quam  
Mulcent flabra favonij.  
Non Martis socium sanguine sublitum :  
Non te ruricolam , non lanium , aut coquum :  
Non te patria talem ,  
Non talem aspicient tui.  
Iam nunc te genius dexterior colit ,  
Ad doctosq; iubet tendere codices :  
Istuc mentis & ardor  
Naturâ vocat insitus.  
Nam fortes pariunt fortia pectora :  
Docti progenerant non sobolem rudem :  
Ut nec passerem alaunda ,  
Nec cygnus parit anserem.  
Patrem nempe tuum SLESA quem stupet  
Donatum varijs ingenij bonis ;  
Latâ calce sequeris ,  
Et fies generis nitor.  
Aetas cum veniet firmior , ad meam  
Aedem devenies & cupide omnia  
Disces , qua tibi cunq;  
Mystæ præcipient mei.  
Hic Graeci sonitum multifidum soli :  
Hic linguam capies Oenotrij sinus  
E libris Ciceronis ,  
Quo nil Roma habet altius.

Hic



Hic, quod Phæstiades post genitis suis  
Concinnavit opus, quo melius nihil  
Gens usquam mea novit,  
Infiges animo tuo.

Hinc te, nostra comes, gloria mollibus  
Ulnis accipiet, teq; per inuicij  
Orbis differet urbes,  
Quis nomen colitur meum.

Predixit Sophie talia, talibus  
Fecisti satis, aut pluribus insuper,  
O FLEISCHERE polite,  
Et diua Sophie amor.

Fecisti satis, hoc res loquitur quasi  
Ipsa: hinc nolo metris pandere pluribus,  
Ipsa est res ubi testis,  
Verbis non opus est meis.

16. GEORGIO CVNONI BRETTINENSI.

**A** Udaces fortuna iuvat, timidosq; relinquit:  
Degeneres animos arguit esse timor.  
Tu satis audacter, CVNO, conscendere montem  
Visus es, Ardalidum quem pia turba colit.  
Montem Heliconam vocant: ejus per culmina fausto  
Sidere perpetui tempora veris eunt.  
Inter ibi medias Musas gens plumea passim  
Lacteolum tenui gutture carmen hiat.  
Stant ibi graminei luci, vinetaq; botris,  
Stant & odoratis prata benigna rosis.  
Felices anima! quibus est ibi copia vite:  
Omnia nectareis sunt ibi plena favis.

Felices



Felices anima! sed enim prius atq; capessunt  
 Sedem illam, fas est ut mala multa ferant.  
 Nam celsus nimium mons est, aditusq; maligni:  
 Non datur ad Musas currere lata via.  
 Faucibus angustis istuc modò semita ducit;  
 Semita & hamatis insuper aucta rubis.  
 Tum labor ante fores primas, morbusq; famesq;  
 Carnifices juvenum, nocte dieq; cubant.  
 Hic opus est animo: hic opus est audacibus ausis:  
 Audenti cedunt hæc mala cuncta viro.  
 Ausus es à primis hæc tu mala vincere cunis  
 CUNO; tui est ausi patria testis humus.  
 Testis & est GRIMÆ ludus, quo HATNECCIUS ausum  
 Direxit facili dexteritate tuum.  
 Testis & est PHILTRE, quâ juvit nobilis ausum  
 Ordo Professorum terq; quaterq; tuum.  
 Felix ô nimium felix! auso, ecce, potiris,  
 CUNO; tuæ cedunt jam mala cuncta manu.  
 Mons patet: accurrunt Musæ: nova júbila fundunt;  
 Atq; tuas implent flore recente comas;  
 Anellisq; tegunt digitis, viridiq; smaragdo,  
 Doctoremq; novum te Sophiæ esse jubent.  
 Salve terq; vale, Iuvenis: feliciter ausis  
 Pòst etiam aspirent mitia fata tuis:  
 Ut simili possis auso Sionis ad ocreas  
 Tendere, qui cæli vertice teçta ferit.  
 Aude agè: signat iter digito velut indice noster  
 Théologi HARBARTUS firma columna chori.  
 Aude agè: te parili CUNO quog; promovet auso,  
 Qui jam BRETTINÆ monstrat ad astra viam.



*Ast iter hoc, fateor, durum est & durius illo,  
Te quod in Ardalidum duxerit antè locum.  
Ne moveare tamen: tu contra audentior ito.  
Audendum est: fortes adjuvat ipse Deus.*

17. MELCHIORI VVEINRICHIO  
HIRSBERGENSI SILESIË.

**N**Vnc velim vatis mihi commodari.  
Orphei nablum fidibus sonoris,  
Quo feras olim comitesq; sylvas,  
Saxaq; mulsit.  
Ut fatis possim memorare laudem,  
Quâ DEI summâ bonitate gliscit  
Aucta VVEINRICHII generis propages,  
SLESIE ocellus.  
Quattuor tantum mihi cerne Fratres,  
Qui DEI verbum populo per ædes  
Explicant sacras, animi levamen  
Et viam olympi.  
Inter hos suadæ genius beatæ,  
Mystra supremus PHILYRÆ, GEORGÏUS  
Doctor excellit, velut inter ignes:  
Luna minores.  
Hic tibi tantum tribuit parentis  
More, fratello, studiisq; tantum.  
Profuit, vix ut parilem favorem  
Reddere possis.  
Interim linguâ obsequioq; gratus  
Sis: ei fortem & placidam senectam.  
à DEO impetra precibus profusis.  
Pectore toto.

Ejus



Ejus & sanctum comitare gressum:  
Bibliis unis operam indolemq;  
Mancipa; quò sis itidem fidelis  
Servus I E S U.

Fac. potes motu facili. tibi jam  
Organon clavis quasi disciplinae  
Cæteræ, nec non Sophiae universæ  
Contigit orbis.

Qui probè callet Sophiam, organonq;  
Maximè novit Logicum; is minori  
Tædio vitæ, methodoq; rectâ  
Biblia versat.

Perge: te Frater magis adjuvabit.  
Perge: te affinem magè sublevabit  
CRAPPIUS juris decus atq; nostri  
Flos TILIETI.

18. IOHANNI MUCK VRATIS-  
LAVIENSI SILESI O

**V** Ti magistris cui licitum est bonis  
Vereq; doctis; is facili viâ  
In colle Virginis patrimæ  
Sistitur atq; fit eruditus.

Illum benigno si quoq; numine  
Sativa mentis flammula idoneæ  
Ad liberales armet artes,  
Et labor assiduus fatiget.

M u c k, quid horum in curriculo tuo  
Desideratum est? nil puto. singula  
Prestò fuerunt; ardor ingens,  
Ingenium atq; boni magistri.



Quos inter à te, ceu decet & pium est,  
Depradicantur; vir columen Scholæ

VVEINRICHIUS BR ES LAVIENSIS,

Nostri & Aristotelis patronus:  
Dein, jam DEC ANI munia qui gerit  
Cum laude summâ, lux Podalirii

EM MENIUS nova, & pudica

Iam Veneris quoq; Candidatus.

Itemq; justis laudibus ad polum  
Effertur à te vir Logica potens

N ELdelius prisca, imò & omnis

Præsidium Sophiæ Achivæ.

Ab hisce tantum, fluminis in modum,  
Rerum bonarum fluxit in os tuum,

Mentemq; sic tuam rigavit;

ut solitum referas brabeon.

Quale id brabeon? pulchrius est stolâ  
Cruore tinctâ muricis: est prius

Fundoq; bracteisq; fulvis:

Nempe novi est titulus magistri.

Eja his magistris concine gratias,

Perdocte MUCCI, quas pietas jubet;

Nec non recompensare quondam,

Si fieri poterit, labora.

Tum NICOLAI, qui juvenum velut

Est & GAERONIS profapia jubar,

Gratus memento: quippe hic altor

Exitit atq; tuus patronus.

Hic & futuro tempore erit tuus

Magis patronus; quin pater idem erit.

Tu



*Tu perge tantum. Sic futurus  
Es decus eximium GALENI.*

19. IOHANNI BLUMENAUER  
ZÖRBICENSI.

Q Vis tam dulcis odor naribus influit ?  
Qui spirant virides tam bene flosculi,  
Ceu de messe Sabæa  
Aut ex Hesperidum jugis ?  
BLUMENAUER adest: hic adeo bonæ  
De se delicias ventilat aurulæ:  
Hic in vertice gestat  
Sertum, quod charitæia  
Triga & Thespiadum numina ter trium  
Confecere recens unguiculis suis,  
Elamnâ rutili auri,  
Et ceu floribus artium.  
Apparent violæ flexaminis deæ  
Pithus: sunt Logicæ lilia: sunt rosæ  
Naturæ rubicundæ;  
Halantq; Vranies thymi.  
Apparet Sophies laurea: qualis hæc ?  
Testamen studii ac artibus in bonis  
Progressus: nota vitæ  
Ac morum sine crimine.  
Quod si talis erit cura etiam tua  
Posthac in studio dogmatis enthei  
BLUMENAUER, habebis  
Mox in fronte coronulam  
Plexam è germinibus ceu Paradisii

D 3

Horti





Horti à coelituum praeside, quam vocant  
Sionem. modò morem  
Antiquum obtineas tuum,  
Sic nunquam deerit tam tibi, quàm tuis,  
LUTHERO similis, MISNIÆ adorea  
Palmaris POLYCARPUS,  
Cujus laus petit aethera.  
Sic patris, soboles aemula, maximi  
Insistes gradibus; qui fuit in Schola &  
Templo multus; at axe  
Iam fertum gerit astricum.

20. IOHANNI MULLERO  
FROBERGENSI,

*S*aepe hominum mens est fallax & opinio vana;  
Praesagiumq; saepius merum est nihil.  
Tertius est annus nunc, ex quo mente sinistra  
Sunt ominati pessimè quàm plurimi,  
IANE, tuis studiis molitor quò nomen adumbres  
(Dixere nonnulli) aut eques futurus es:  
Dentatam capias strigilem, tergasq; caballos;  
Se spernit à te Apollo praestes artium.  
At non evenit. potius dilexit Apollo  
Te, conspicatus diligentiam tuam  
Haecenus, ut proprias ceu nato indulserit artes,  
Quae diva nostrae mentis extant pabula:  
Ut Logicum dederit Canonem, quo falsa refellas  
Et vera firmes: Ethicam, qua rectius  
Instituas mores: Citharam, qua carmina ludas,  
Quae corda chordis leniunt mellitulis:

1708

Ut



Ut jam laureolam viridem, titulumq; magistri  
Impertiat cum laude, sed non infimâ;  
Infima contigerit quamvis tibi ab ordine sedes.  
Hic nil situm est in sede. primus & ultimus  
Sunt in honore pares. primus, medii, ultimus, omnes  
Fiunt magistri, suntq; digni laudibus.  
Tu modo postremus ne sis, sed primus & acer  
In persequendis postea altioribus.  
Ut moletrina sinu fluvii, vel flamine venti  
Noctes diesq; circumacta concrepat:  
Sic tu nocturnis versa manibusq; diurnis  
Præcepta Iuris. annuit parens tuus,  
Sit licet opilio Christi. nam servit & ipsum  
Ius Christianis & DEI donarium est.  
HEIDENREICH Philyra & Themidos candela ministrat  
Lucem: tibiq; HEINITZIUM decus piam  
IAN-ERNESTUS opem fert. qui pius adjuvat Irum  
Ut Iris enitescet in solo & polo.

Ἐπὶ σόδιον.

**H**ic finis hæret: nunc mea litoris  
Attingit oram cymba: celeusmatis:  
Nunc summa votivi coronis  
Ad superum superest Parentem.  
IEHOVA nostram, quaeso, ACADEMIAM  
Vultu benigno respice perpetim:  
Fœcunda quò fructum quotannis  
In Patriæ pariat salutem.  
Augmenta nostræ sint Sophiæ, precor,  
Annis futuris. namq; pedissequa est.

Sub.



Submissa VERBORUM TUORUM,  
Nec Dominâ cupit esse major.  
Fac ut DOCENTES unanimi suos  
Ardore sanis dogmas in instruant:  
    Industria respondeant his  
    Discipuli, obsequiisq; promptis.  
Fac & DYNASTÆ RUTIGERI, quibus  
Paremus, & qui SAXONICÆ DOMO  
    Cognitionis vi propinquant;  
    Ut valeant, vigeant, virescant.  
Luctu recenti fac statuam modum,  
Ob mortem acerbam CONIUGIS OPTIMÆ  
    IANI--GEORGII; supremum  
    Qui caput est ACADEMIÆ hujus.  
Defende bellum: pelle famem procul;  
Fugaq; morbos, servitium necis.  
    Pax floreat: pax una præstat  
    Innumeris potior triumphis:  
Fruges beato munere suppetant;  
Coelum salubri temperie fluat;  
    Tandem omnia omnium bonorum  
Sint loca plena, IEHOVA faxis!

F I N I S.





*Id 4212.  
8.*

ULB Halle 3  
002 391 589



*So*



*Ne*  
*vom*











36

A 1458  
E, ERVDI-  
POLITIS-  
NUMERO

Philosophi-  
in inclyta Aca-  
& insignia  
tur

ur.  
lissimo viro Dn.  
ro I. V. D. &

clarissimo viro  
o HVNICHIO,  
e dignissimo.  
stantissimo viro  
MENIO Med.

ECMANO

cudebat.

